



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-73. ———  
SIGNAT. cIōIōCCCXIII.

IN NOMINE JESU!  
DISPUTATIO LOGICA  
PRIOR  
DE  
COPULA EST.

Quam  
PRÆSIDE

*Viro Amplissimo atq; Excellentissimo*

**Dn. M. CHRISTIANO TRENTSCHIO**

Philosophiæ Primæ & Logicæ Prof. Publ.

Celeberrimo,

Domino, Præceptore, atq; Patrono honoratissimo;

*defendet*

**M. FRIDERICUS VICCIUS,**

Breslâ Sil.

In Auditorio Majori

*ad d. XVII. Septemb. horis antemeridianis.*

---

WITTEBERGÆ

è Chalcographæo JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

Anno 1653.



Handwritten text at the top of the page, likely a title or header, which is mostly illegible due to fading and bleed-through.

IN DOMINI ANNO  
DISTRIBUTIO H. OCTO  
BRIO

COPIA EST

Dr. M. C. HERRMANN  
Philosophie, Natur- & Geschichte der Erde  
Domino, Antiquarische Buchhandlung  
in Leipzig

M. FRIDRICH FICHTER

in Adhärenz Majestät

an der Universität Leipzig

Leipzig, den 12ten März 1812

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or additional notes, which is mostly illegible.





I. N. 7.

PRÆFAMEN.

**U**od non semel vel unâ atque alterâ vice; sed iterum iterumq; in Scholis Logicorum de Canonibus, qui in Topicis habentur, afferitur, illos sc. simpliciter acceptos falsitatem non rarò inferre: istud etiam in præfenti de isto: *In verbis sumus faciles*, dicere non vereor. Ut ut enim quandoq; omnino istud observandum nec ubiq; despiciatui habendum monitum, quippe quod λογιστικῆν inutilem & futilem prohibet omnem; interim tamen nec ubiq; valet, multo minus firmum parit argumentum. Commune illud responsum, cur stellæ interdiu non videantur, quod *magis obfuscet minus, illud quod est luminis, non est ad salivam Patritio*. Dicit: *Quomodo obfuscabit res, quæ fusca planè non est. Absorbet in se lumen alterum, sibiq; unit.* Verum ad ista Philosophus noster Sperlingius accuratè, ut ad omnia: *Nos hic, inquit, diversa cernimus Nomina, sensum eundem. Nomina diversa sunt, obfuscare, absorbere, Res Eadem, & sensus idem.* Usque adeo Patritius de voce hæc dum litem movit, & quidem tali, quæ rem non mutabat, nec sensum migrabat, difficilis justo fuit, atq; imprudens. Bonus si sensus, verbis movere prælia non conducit. Quemadmodum vero hoc in loco Patritius laudandus haud est, quod facilem esse in verbis sensum habentibus non diversum Ipsi non fuit integrum; ita etiam laudem meretur nullam qui in quibusdam verbis sensum eundem non obtinentibus, justo faciliores vivunt. Bene istud ad animum sibi revocavit pius Pater Athanasius, qui cum contra Arianos de Trinitate Personarum in Unitate Essentiæ conferebat, in vocabulo

Bulo illo ὁμοούσιος abjiciendo non voluit, nec potuit esse faci-  
lis; sic enim Rebus vim intulisset. Erat itaque ipsi nihil prius  
nihil antiquius, quam verba Ecclesiae retinere, dum novae phra-  
ses multis vicibus schismata in Ecclesiis pepererint. Adhuc,  
vocabulum ὁμοούσιος bellè explicabat quam profitebatur, sen-  
tentiam. Quippe significat unam Essentiam, & simul plures  
in illa Essentia Personas, quod Ariani negabant. Ita olim no-  
strates Piscatori concedere volebant, istam Quaestionem: An  
sit Tropus in Propositione: *Hoc est Corpus*, esse Rhetori-  
cam. Habebant enim remove omni studio, quod hoc nomine  
incauto Lectori Piscator obtrudere conabatur, videlicet harū  
Quaestionū Explicationem è Rhetoricis esse petendam. Quod,  
si à nobis accipiatur, statim perit verus illè, ac genuinus verbo-  
rum Domini sensus, quod unicè efficiendum Piscator sibi pro-  
posuerat. Idem etiam nostrates Theologi haftenus in animum  
induxerunt non sine laude, dum in Explicatione verborum Cœ-  
næ Dominicæ non omne, quod Adversarius volebat, concesserunt.  
Unde ille ansam sumit, & verba, & facientem illa, re-  
petentemq; multis afficere convitiis. P. Martyr in Dial. fol. 125.  
Probationem, quam è verbis Christi petimus Quinqueverbiā  
& satis impiè nuncupavit. Nec allegare semel illa sibi pro-  
ponunt, dum dicunt ea habere & esse τὸ κενώμενον. Immo eo  
excrevit horum malitia, ut Consul Bremensis Dan. Buren An.  
1560. in Conventu publico dicere non erubuerit: Lutheranos  
pro sua sententia confirmanda nihil quicquam proferre posse,  
præter tria Impotentia verba. Nec sufficit de verbo DEI mala  
verba protulisse, malè etiā audiunt apud Eosdem, qui DEI ver-  
ba in ore & corde & oculis gerunt, eaque profitentur. Hinc di-  
cuntur à Calvini Sociis nostrates Buchstäbler, quemadmodum  
à Papicolis salutantur scripturarii. Sed rectè istas insuper ha-  
bent nuncupationes Nostri, quibus cum Ignarissimis haud con-  
stat sæpè rem laudatissimā contemni. Notum ipsis apprimè est  
quod & illi Hæretici & Hæreticorum Patriarchæ à Paulo III. Pa-  
pa Rom. quā sæpissimè dicti fuerint, qui tamen potius ob singu-  
larem erga linguas diligentiam omni honoris nomine fuissent  
prosequendi. Quæris unde ista, & ἐξ ὅτι περ πάντες ποταμοί,

καὶ πᾶσα γὰρ λαοσάτων κακῶν, enarrabo brevibus, istud est, quod  
in verbis sensum mutantibus faciles non esse volunt, nec quecūq;  
qui à nostra stant parte. Istud est, quod moveri nesciunt, & in  
sententia Christi perstant ut marpesia cautes, nec huc vel illuc  
facile trahi patiuntur. Nos idem, καθ' ὅσον σιόντες in Logico  
discursu de vocula Est, effectum dare conabimur. Quod ve-  
ro antequam fiat istud, quod Ulysses ad Minervam apud Ho-  
merum Iliad. K. ego ad verum Deum ὦ μοι αἰεὶ, ἐν πάντεσσι πρό-  
νοισι περιίτωται. Sequitur jam Discursus Logici.

## SECTIO. I.

De

### ΤΟΥ ΕΣΤ Homonymia & Synonymia.

§. 1. De principio, dum cognitionem nostram natales  
ducere quosdam ex Nominis præcognitione sit manifestissimā  
ut Scal. sentit & loquitur Exerc. I. §. 1. & 325. §. 10. & 359. §. 1. quod  
ex Aristot. I. post. t. I. petiit dicente: πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶ-  
σα μάθησις ἐκ προϋπάρχουσας γίνεται γνώσεως, per quam inter  
alia etiam Nominis cognitionem intelligendam esse benè Za-  
barella colligit, erimus non abs re de voce Est ejusq; Synonymia  
& Homonymia solliciti. Scil. ut Poëta canit:

Symbolon est rerum verbum, penetraverit ad res  
nemo, nisi referat vox bene nota fores.

Sæpè sub unius minimo velamine vocis  
divinæ Sophiæ pondera magna latent.

§. 2. Quare de voce & verbo hoc verba instituemus no-  
stra, non quidem ut Physici, qui de vocibus prout sunt auditis  
Objectum, & Affectio Animalis differunt: Nec ut Metaphy-  
sici, qui de verbis quat. faciunt ad complendam Entis distin-  
ctionem, quæ est signi & signati, laborant. Nomina enim  
sunt Rerum & Conceptuum signa, ut Aristot. loquitur I. Eléch.  
Soph. c. 1. & I. περ. ἑρμην. c. 1.

§. 3. Nec de vocabulo Est locuturi ut Grammatici su-  
mus, ut ut tractatum logicum de Nomine & verbo totum dicat

esse Grammaticum Ramei. Cujus rei causa hæc est, quod non observare parati sint unius rei varias posse esse considerationes. Quare licet materiale idem maneat, formale tamen diversissimum esse ponderare deberent.

§. 4. Et certè si Grammaticorum more τὸ Est hic tractare vellemus dicenda illa Copula, verbum, cum ubiq; ita apud illos audiat. Dum verò non ita in Logicorum foro ita nuncupetur, nisi ubi est secundi adjecti, patet non unam esse Eiusdem Logicam & Grammaticam tractationem. Reg disp. log. lib. 3. p. 5.

§. 5. Ad hæc Logicus non laborat num à verbo Fuo τὸ Est descendat num tertia persona sit &c. Sed alia meta ad quam tendit, Logico est istud pertractans, quod videbimus in sequentibus.

§. 6. Antequam vero id fiat, necesse est præponatur, quò de EST impræsentis simus disputaturi. Ambiguitas, omnis Erroris Mater, removenda prius omnis est, quam differamus de Eius Naturâ.

§. 7. Prout vero τὸ Ens & Esse apud Philosophos vel tribuitur omni illi, quod verè de aliquo sive affirmatur s. negatur, & respondet latissimæ Entis significationi, quæ competit omni, quod ullo modo est, qua ratione & privationes & negationes dicuntur Entia, immò & Entia rationis; unde explicantur illa: Tenebræ sunt super faciem abyssi; Bartimæus est cæcus &c. Vel isti quod reale & actuale & positivum quid est: Ita etiam τὸ est non minus late patet. Quod ex variâ Eiusdem usurpatione conspicere quam facile est.

§. 8. Usurpatur autem istud Est & extra & intra Propositionem.

§. 9. Extra Propositionem bifariam sumitur ὑπαρκτικῶς dehinc ἐξηγητικῶς vel σηματικῶς.

§. 10. ὑπαρκτικῶς & substantialiter sumitur, quando exprimitur, vel quod res sit, vel quid sit, quovis modo vel Essentialiter vel extra essentialiter.

§. 11. σηματικῶς etiam accipitur, quando adhibetur in Explicationibus, ut æquipolleat τὸ significat. ut cum quæro: Quid hoc est? vel explico, hoc est, ubi nihil aliud peto quam  
vel



vel scire, quid hoc sibi velit? vel docere, quid hoc denotet sive  
declarare id, quod antè dictum, verbis significantibus.

§. 12. Intra Propositionem est communissimum illud,  
quod in omni Enunciatione requiritur. Fieri enim non pot-  
est ut Enunciatio formetur, in qua non ad minimum subaudi-  
tur vocula est.

§. 13. Intra vero illam duo sortitur munera, vel enim  
notat convenientiam Prædicati cum subjecto, & copulat con-  
jungitq; Ea, quæ idem sunt sive *ὁμοιωδῶς* s. *ὁπαρητηκῶς*, vel Exi-  
stendi actum, & importatur Existentia saltem. vid. Amplissimus  
& Excellentissimus Theologus D. Calov in Ontol. p. 295.

§. 14. Hinc distinctio illa emergit, qua Est dicunt aliud  
esse secundi, aliud tertii adjecti, quibus alii adjiciunt τὸ est pri-  
mi adjecti.

§. 15. Triplex vero ista denominatio τὸ Est ex triplici Ejus-  
dem positione in Enunciationibus, nec aliundè est. Quando  
Prædicato præponitur τὸ Est, dicitur primi adjecti: ut, Est Deus.  
Secundi adjecti dicitur propositio cum subjecto postponitur τὸ  
Est & est loco prædicati, significatq; *ὑπαρξιν* s. existentiam. e. gr.  
Homo est. Tertii adjecti est, quâdo medio loco inter subjectum  
& prædicatum istud ponitur inservitque illorum nexui sive co-  
herentia, ut in his Propositionibus: Deus est justus homo est  
animal.

§. 16. Nec est, quod objicias τὸ Est secundi & τὸ Est ter-  
tii adjecti unum idemque esse, ut etiam ab illo quod est tertii  
adjecti ad istud quod secundi est concludere liceat. Si  
enim Regulam vulgatam consideraris probè, videbis quot pati-  
atur Instantias. Hinc dicunt Logici eam non valere in Propo-  
sitionibus negantibus egr. Ab hac, Papa non est vicarius Christi.  
non valet, si concluderes: Ergo non est. Postillà nec ex isto  
in Exclusivis argumentari licitum est. Non sequitur: Solus ho-  
mo est animal rationale. Ergo Solus est. Nec tandem, quando  
de subjecto prædicatur destructivum quid, valet. Hinc non  
rectè concludo: Homo est mortuus, E. Homo est. Immo etiam  
non valet in materia naturali & necessaria e. gr. : Ante Creatio-  
nem Mundi vera erat hæc: Homo est animal, non tamen hæc:  
Homo

Homò est. Quia Propositiones necessariae sunt sempiternae ve-  
ritatis & verae sunt, ut ut res non existat. At Est in secundo Ad-  
jecto significat Existentiam semper.

§. 16. Inconsequentia itaque harum Propositionum i-  
stam habet originem, quod τὸ secundi adjecti & tertii non unū  
notent. Illud semper importat Existentiam, at hoc, indifferen-  
ter se habet ad Entia actualia & possibilialia. Illud esse reale in-  
dicat, Hoc etiam ista copulat quae Entia rationis sunt. y. pluri-  
bus Danh. in Idea Bon. Disp. & Scheibl. p. 613.

§. 17. Istam, τοῦ Est, ambiguitatem aliam alii expediunt  
methodo Autores. Dicunt signare ante omnia ὑπαρξίν & exi-  
stentiam ἀπλῶς ut: Animal est: post ἐκπαρξίαν in existentiam  
physicam in suo subjecto, ut Paries est albus: deinde ἐκπαρξίαν  
Logicam in subjecto Logico: Homo est animal: pro porro de-  
notare συνοχήν quandam, ut aliquis ostendens cunas, dicet haec  
mea est Filiola, cum cunae sint, non filiola: sed ἀνωχοῦντες cō-  
tinentes Filiam: Immo etiam copulam hypostaticam & perso-  
nalem, ut secundus homo ἐστὶν ὁ κύριος 1. Cor. 15. v. 47. Ad haec  
significare Copulam sacramentalem, mysticam, realem, ut Pa-  
nis Eucharisticus ἐστὶ κοινωνία 1. Cor. 10. v. 16 Tandem ἐστὶ per se  
pronunciatum nihil: Est, denotans tempus, significat aliquid.  
Est copulativum in Enunciando προσημαίνει consignificat. De  
Est per se pronunciato discursum formabimus nostrum.

§. 18. Istud verò etiam Propositionis vinculum & copula  
dicitur, quae etiā dum non sit una, expediemus impraesenti. Co-  
pula enim Propositionis alia verbi, alia Conjunctionis est.

§. 19. Conjunctionis vinculum s. Copula est, nota Con-  
junctionis Grammatica, vel particula huic aequivalens, ut Ta-  
lis, tantus, Et Aut &c. Unde etiam illi syllogismi qui potissi-  
mum τὸ Est constant, Copulativi dicuntur. Ista autem copu-  
la conjunctionis, quod in axiomatico simplice Copula verbi est,  
est in Propositione composita.

§. 20. Vinculum s. Copula verbi est vel explicita vel im-  
plicita.

§. 21. Im-

§. 21. Implicita est, quando dico: Aqua humectat. Explicita, quando explicitè & exsertè τὸ *EST* in Propositione legitur, ut quando dico: Aqua est humida.

§. 22. Notetur vero inter istas duas discrimen ferè nullū intercedere. Copulas sic Arist. scribit l. 5. Met. c. 7. οὐδὲν διαφέρει τὸ ἀνθρακωτὸν ὑγιαίνων ἐστίν, ἢ τὸ ἀνθρακωτὸς ὑγιαίνει.

§. 23. Dum vero idem valent, quaestio suboritur, cur non ab uno abstinemus; sed utroq; utamur. Respondemus cum Gutkio: Quod tertii adjecti Est adhibeatur, contingit ob defectum vocabulorum. Plures enim Res quam vocabula. Cujus defectus documenta non tantum in Ebraea inveniuntur, undè saepè una radix quatuor vel quinque diversarum rerum significationes sustinet; sed & lingua Latina, quæ ut vocum penuriâ sic & indè ambiguitate laborat magis quam Lingua Graeca.

§. 24. Vidimus verbi Est ambiguitatem, super est ante, ut num etiam alia verba idem munus τὸ Est copulae sortiantur, indagemus, quam ad inquisitionem, quæ Istius sit significatio, deveniamus.

§. 25. Hæc dum meditamur, offeruntur nobis quidam, qui τὸ Fio, quemadmodum & τὸ Existo Copulas esse nudas volunt, & idem ipsis, quod τὸ Est, officium attribuendum esse, nec plura danda, judicant.

§. 26. Verum enim verò prout Essentia & Existentia Philosophis non sunt planè idem. Existentia quidè æqui pollet Enti & Essentia, ita tamen, ut quiddam inferat, quod non connotetur voce Essentia, actualitatem scil. qua res extra suas causas sistitur, vel positive ut è causis emerferit, vel negative, ut in causis ne esse quidem potuerit: V. Magnus ille Theol. D. Calov. in Met. Div. p. 113. ita etiam dum Conjugatorum eadem sit ratio, planè non æquipollent Esse & Existere, multò minus Esse & Fieri, si non admittenda Contradictio quæ est in adjecto. Fieri adhæc est divisibile, factum esse, Individuum, ut loquitur Arist. l. 2. pot. c. 12. 2. Existis jam modo patet plura involvere ista duo, quam quidem τὸ EST.

B

§. 27. De-

§. 27. Dehinc Phrasis ista, quando dico, Alexander M. existit heros, insolens est auribus latinis, immo apud Latinos inaudita licet apud barbaros trita, quando id significare debet, quod est heros. Sic *Fio* non mera copula est, dum idem quod evado, vel efficior significat. Sequeretur enim τὸ evadit quod & τὸ efficitur esse copulam, cum in hac propositione Petrus fit doctus, nihil aliud sit τὸ fit quam efficitur, evadit doctus. Ubi ergo copula in ipsis Propositionibus? In *Fio* latet abstrusa, atque recondita.

§. 28. Immo ab *Est* tertii adjecti ad *est* secundi adjecti quandoq; valet consequentia, non ita in Verbo *Fio*. Non licet argumentari: Petrus fit doctus. Ergo Petrus fit. τὸ *Fit* itaque in Enunciatione illa, non est copula; sed *Est*, quod in isto *Fit* inclusum est.

§. 20. Insuper verbum *Existit*, itēq; τὸ *Fit* Tempus determinatè significant. dum Copula quae talis pro omni tempore indifferenter etiam infinito supponat. Quando itaq; dico: Homo est rationalis non id præcisè, quod hoc die sit talis non altero; sed id volo quod omni tempore sit, fuerit & futurus sit rationalis, immo id volo, hanc sc. Propositionem veram fuisse ante, quam Homo fuerit.

## SECTIO II.

Sollicita est inquirere τὸ est significacionem.

r. Cæterum, tum in omni voce duo ponderanda sunt, & materiale illius & formale; illud sunt, Apices & literæ, hoc est significatio vocis in scholâ Peripateticorum non Rameorum, de materiali vero dicere animus noster non sit, cum hoc Grammatici sit; de formali, loqui proponimus, quærentes num ista copula primò logicè aliquid significet, dehinc num propria num tropica illius sit significatio.

2. Recte ut putamus, nos præmittimus quæstionem, num Copula significet. *Αδωάρη γὰρ εἰδέναι τί ἐστὶ ἀγνοῦν- τας εἰ ἐστὶ*, ut recte Arist. loquitur l. 2. post. Anal. c. 7. Quæstio τῶ ὄτι præmittenda illi, quæ de τί ἐστὶ & τῶ δῖόντι laborat.

3. Paucis vero rem expediemus, & dicimus solitariè sumtam copulam nec verum nec falsum significare.

4. Quemadmodum n. verbum & Nomen rem significat, tamen solitariè posita nondum significant rem esse vel non esse, id est, nondum affirmant vel negant. e. gr. cum dico: sedet, studet, non significo rem esse, nec affirmo quid, licet significem sessionem & studia, nondum tamen dico, aliquem studere aut sedere, ita etiam fermè τὸ Ἔστ̃ sese habet.

5. Dum probat Aristoteles Nomen & Verbum seorsim & in sensu disjuncto accepta nec falsum nec verum notare, ab hoc, quod nobis usu est, quod urgemus argumento concludit ἐκ τῶ μάλλον ut Ammonius loquitur. Si verbum, dicit, prius & communius in quod cætera resolvuntur, nec verum nec falsum significat: multominus significabunt cætera verba posteriora & minus communia. Sed Esse & non Esse, quæ sunt communia & priora non notant verum & falsum. Ergo neq; cætera adjectiva verba omnia, quæ in illa priora & participia resolvuntur non significabunt rem esse vel non esse. Assumptio plana est: quia licet aliquis dixerit: Est, vel, non est. tamen nihil veri vel falsi dixerit. V. D. Hopfn. in comm Log. p: 478.

6. Hujus rei fundamentum, est quod, ut Ruvius ait c. 3 de verbo p. m. 381. veritas & falsitas solum reperiantur in cōpositione & Divisione. Verbum vero per se positum, talem compositionē & divisionem non notat, dum nulla componēda, nec ulla dividenda adsint. Quare talis Compositio atq; Divisio ut fiat, necesse est adsint extrema, subjectum & Prædicatū, sine quibus esse non possunt, nec intelligi.

7. Ad hoc accedit ista probatio, quod nulla τῶ Ἔστ̃ cōpetat significatio. Quod si enim aliquid certi notaret non posset omnium rerum nexui servire, propter rerum ipsorum

variā coherentiam. Sæpe prædicatum essentialē, non raro accidentale, nonnunquam positivum, aliā vice privativum, quandoque proprium quandoque figuratum subjecto jungit. Quis vero affirmabit, quod roties significationem mutet? quis explicabit quam nam rem significet in singulis hisce E-nunciationibus: homo est animal, homo est doctus, Plato est mortuus, vinea est Ecclesia. Quod vim combinandi habeat in omnibus manifestum est, præterea vero nihil significare videtur. V. Werenberg. in Exerc.

8. Præterea quod nulla ipsi competat significatio, ulterius ex Conjugatis probat Philosophus. Si id, inquit, quod prius est verbo EST, & antiquius, videlicet Ens nihil significat, etiam quod ab Ente derivatur, hoc est, verbum EST nihil significabit. Sed ipsum Ens οὐδὲν ἐστὶ nihil significat, quando est ψιλόν & separatum ab universis Entibus, seu, cum ei non subjeceris substantiæ aut Accidentis alicujus Intelligentiam. Ergo etiam τὸ EST, quod ab Ente derivatur, non significat rem esse, aut non esse; sed tantum σὺνθεσιν, & nexum, quod tamen qualis sit verus ne an falsus ἀνευ τῶν συγκεκριμένων non liquet. Consignificat compositionem quandam, quam sine compositis nec intelligere potes. Ex quo tandem patet Copulam non esse nisi in Intellectu.

9. Ut ut vero extra Propositionem nil notet, interim tamen in Propositione, quando copulat & jungit Prædicatum cū subjecto aliter se habet. Ibi n. verbi naturā induit, quæ vox significans est. Nec tantum notat actionem aut passionem, sicut verbum grammaticum, ut proinde falsò verbum Logicum ab aliquibus describatur, quod actionem & passionem nudas notet; verum etiam alia prædicamenta v. gr. substantiam, quantitatem, qualitatem dum vid. hoc verbum substantivum Est conjungitur Nominibus talium Prædicamentorum res significantibus, ut cum dico: Homo est animal, Homo est magnus est doctus est Pater. Vid. Reckleb. χρησμομαθ. p. 82.

10. Dum dehinc autem significatio vocum, alia sit propria alia tropica, quarum utraq; est ex usu & scriptis Auctorum.

torum probatorum desumenda, siquidem neutram vox ex se habere potest, quaeritur num tropicè Copula sit exponenda.

11. Alii aliter hic loqui didicerunt. Ex Calvinianis quidam per τὸ significat τὸ Est in Propositionibus Sacramentalibus explicant, ut sunt Zwinglius, Beza, Bucanus, Polanus, Danæus, Trelocatius, M. Goglenius. Hic modo ait modo negat, ut Phædria ille Terentianus. Conf. Probl. Rhetor. 15. & Colloq. cum Busch. Quidam Papicolarum τὸ Est isto in loco per Erit, transmutatur, convertitur, transit in Corpus Christi explicant. De omnibus hisce agendum.

12. Ut vero ordine progrediamur agendum primò hæc de Controversia est: nempe qualis ista quaestio, dum quaeritur: An Tropus sit in aliquo loco, num Logica, num Rhetorica, num alia? Quod si enim Rhetorica est, ut Piscator contendit, malè hoc in loco tractaremus quaestionem: An Tropus sit in Copula? Quare ne videamur μεταβάινειν εἰς αἰὲν ὄνειδος, & falcem in alienam mittere messem, hæc de quaedam proponemus.

13. Piscator controversiam de verbis Coenæ explicaturus, aliquot proposuit Quaestiones, easq; Rhetoricas indigitavit, appellationis causam potissimum reddens hanc: Quia ipsarum Explicatio à præceptis Rhetoricis dependeat. Hinc eas non esse Theologicas: sed Rhetoricas tantum affirmavit. Inter quas ista non postrema est: An sit Tropus in vocabulo Corporis? quam itidem Rhetoricam esse arbitratur.

14. Nos dissentimus, & alio tales salutamus Quaestiones nomine, quibus constat, quid ad Tropum alicubi asserendum requiratur.

15. Scilicet ad Tropum alicubi affirmandum non tantum modificatæ; sed etiam propriæ significationis consideratio facit. Et quidem primo inquirenda est illa res, quam propriè significare solet illa vox, inquâ statuendus est tropus. De in illa ipsa res conferenda est cum re, quam eadem vox notat in oratione illa, quæ explicatur. Quod si utrobique res plane

B. 2.

eadem,

eadem, Tropologiae Rhetoricae, locus non conceditur. Si v. Res non sunt eadem, sed alia hic, alia illic, & quidem inter se vel consentientes vel contrariae vel similes, tum demum Rhetorica admittitur, ad pronunciandum ex rerum affectione de Tropo, qualis ibi sit.

16. Ex istis non obscurum est colligere, non prius iudicium è Rhetoricis petendum, quam è Rerum consideratione Logices beneficio constet, aliam esse rem quæ hic, aliam quæ propriè significetur, atq; ambas ita affectas, ut Tropum admittere possint.

17. Ut res eò evidentior reddatur, syllogismis eam includemus: Argumentamur. Illa est Quæstio Rhetorica, cuius Explicatio sumitur è Rhetoricis. Sed hujus Quæstionis, *An sit Tropus in hoc vel illo verbo*, explicatio è Rhetoricis desumi non potest. Ergo. Major est ipsius Piscatoris in resp. ad Hoffm. p. 7. Minor itidem vera est: è Rhetoricis enim peti non potest rerum significatarum consideratio, & determinatio, sine quâ nec intelligi nec explicari potest, an in verbis sit Tropus. De Tropo siquidem nil constat, nisi per nativæ & modificatæ significationis considerationem. Ex quo fit, ut cum quæritur de Tropo, quæraturnil aliud, quam hoc, *An res ipsa, quæ propriè per vocem significari solet, an vero alia intelligenda?* Usque adeo à consideratione & determinatione rerum tanquam à notiori, ad æstimationem verborum tanquam minus notum progrediendum ubique. Quod dum hoc loco Piscator non attendat; sed neglecta Mysterii atq; rei consideratione tropum verbis inesse statuat, non video quomodo sit excusandus.

18. Concludimus porro hunc in modum: Ubi non præsupponitur materia Rhetorica, ibi nec Explicatio à Rhetoricis pendere potest præceptis: sed Explicatio Quæstionis an sit Tropus, non præsupponit materiam Rhetoricam. Ergo &c. Ubi n. nullus ornatus Rhetoricus, ibi cessant ejus Artis Præcepta, & ubi nullus est tropus, ibi Præcepta de tropo rhetorica nihil explicare possunt. Sed quis jam affirmabit, materiam hic præsupponi rhetoricam? Quando enim quæritur, an tropus

pus



pus sit, non præsupponitur esse; sed dubitatur, & tam præsumitur quod non sit, quam quod sit.

19. Dum Hoffmannus Piscatori cum distinctione responderat, & dixerat, quæstionem de tropo constantem rhetoricam esse, excepit ille Piscator: Bene nunc assumo quæstiones illas à me propositas de tropo constare ut liquet. Quid? nonne hinc jam firmiter concludo, quæstiones illas, vel Te iudice, esse rhetoricas.

20. Sed falso explicat mentem illius Piscator. Aliud est: Quæstio est de Tropo constante, & aliud, Quæstio est de tropo constare, aut de Tropo quæri. Nam quæstio de Tropo constante est, cum ex rerum voce significatarum consideratione jam constat esse Tropum, & amplius quæritur, quisnam ille, & quomodo explicandus sit: de tropo a. quæritur & quæstio de tropo constat, cum adhuc dubitatur, an sit tropus, & præsumitur tam quod non sit, quam quod sit.

21. Exemplo rem declarat Piscator Herborensis, adversus D. Hoffmann. in doctrina de cœnâ p. 6. & dicit: Quemadmodum est Quæstio dialectica, si quæratür de argumentis s. notionibus logicis, ex quibus sententia aliqua constat, quomodo scil. subjectum ad Prædicatum se habeat, logicèq; affectum sit, an ut causa ad Effectum, vel contra, & ita de reliquis argumentorum generibus, nonne, inquam; talis quæstio erit dialectica idq; propterea, quod argumenta de quibus quæritur, dialectica sint? Quomodo igitur negas rhetoricam esse quæstionem, quæ quæritur de ejusdem sententiæ tropo, cum tamen rhetoricæ esse concedas?

22. Respondemus ad Exemplum è Logicis petitum: Logicam quæstionem nos omnino dicere, si quæritur, quomodo subjectum ad Prædicatum se habeat, an ut causa ad Effectum, vel contra non ita dicimus istam quæstionem esse logicam, quando quæritur quænam res in sententia antecedente s. subjecto, & Consequente seu Prædicato disponatur.

23. Sic distinguimus inter tropum esse, & hunc tropum esse. Cum quæritur an hic vel ille in voce sit tropus, præsupponitur esse ibi tropum & de Eius determinatione quæritur, & tunc dicere possumus rectè esse eandem quæstionem rhetoricam,

Cum vero quaeritur an sit aliquis in voce tropus, dubitatur adhuc, num aliquis ibi locum habeat, & tum talis Quæstio rhetorica dici non meretur. Qualis etiam dum nostra sit jam, rhetorica quomodo sit dicenda, non videmus. Dicimus potius esse Logicam, dum ipsi Logicæ conveniat illarum rerum affectionem perpendere, & an vocum significationes tropi rationem admittant inquirere, dum adhuc ipsum τὸ Ἔστ nullibi rectius quam in Logicâ explicetur, declaretur.

24. Jam nostrum esset ipsum tropum, quem imponit τὸ Ἔστ, & sic multis imponunt Calviniani videre. Sed ista in posteriore Disputatione examinaturi sumus.

S. D. G.




Ung VI 73

ULB Halle 3  
004 108 515  





Farbkarte #13

B.I.G.



24

ESU!  
OGICA

EST.

Excellentissimo

TRENTSCHIO

ogica Prof. Publ.

Patrono honora

VICCIUS,

ajori  
antemeridianis.

GÆ  
HNERI Acad. Typogr.

